

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

### **Candelabrum Apocalypticum Septe[m] Luminaribus coruscans; Oder Apocalypticischer Leichter Mit siben Liechtern vnd Facklen flammendt**

Das ist: Sibefache Predigen durch siben Jahrgäng, auff alle Sonn- und  
Feyrtäg ieglichen gantzen Jahrs außgetheilt

Ersten Leichters, oder Ersten Jahrs Festival- oder Feyertäglicher Theil

**Brinzing, Johannes Capistranus**

**Kempten, 1681**

Vorwort

[urn:nbn:de:bsz:31-107492](#)

REVERENDISSIMO  
ET  
CELSISSIMO,  
S. R. I. PRINCIPI  
DOMINO, DOMINO  
RUPERTO  
ABBATI  
CAMPIDONENSI,  
AUGUSTISSIMÆ IMPERATRICIS  
ARCHIMARSCHALLO,

*Dño ac Principi suo Clementissimo*



Imui , REVERENDISSIME, ac  
CELSISSIME PRINCEPS , tam  
celebre *NOMEN* præfigere Opellæ huic  
meæ : Verebar etenim extollere Magni-  
tudinem Tuam , cùm nòrim probè, ha-  
bere privilegium hoc grandes animas, quòd ament non  
laudari. Patere nihilominus liberam vocem: non Tibi  
placere studui ; sed plebis saluti consulere, quæ à Te ma-  
gis amatur : neque poteram stylo meliori suadere faci-  
enda,quàm exhibendo, quæ facis Ipse.

Magnum

Magnum Nomen, si in fronte cujusdam libri peroret,  
maximum inde robur & decus accedit. Fucos equidem  
non venderem, nec ventosis buccis vanum agerem adu-  
latorem, si Te antiquissimā primæ Nobilitatis mirarer in  
stirpe. Si Potamicæ Tuæ Prænobilis Familiæ panegyrin,  
ante annos fermè millenos jam ab alijs decantatam reoc-  
cinerem. Si connubia Potamicorum cum Illustrissimis  
Baronissis, Comitissis, imò Ducissis inita, in laudis materiā  
depromerem. Si Casparos, Joannes & Jacobos Ludis  
Equestribus Præsides generosissimos: Heroës armis To-  
gåq; præstantes: si denique Nobilissimi Tui stemmatis  
magno Proceres, Ducum, Regum, ac ipsorum Imperato-  
rum Aulicos expertissimos, Consiliarios consultissimos,  
Burggravios Illustrissimos deprædicarem. Sed taceo  
aliena (si tamen aliena dici queunt, quæ Ejusdem Praecla-  
rissimi sanguinis sunt encomia) De Tuo habes, Princeps  
Celsissime, quo omnibus videâre Magnus. Corporis  
species compositissima etiam procul ostentat Principem:  
tanta enim oris dignitas elucet in vultu, ut vereri impro-  
bi possint, probi non possint non amare.

Incredibilis ingenij Tui felicitas, omnium avida, om-  
nium patiens Facultatum, fecit, ut penè adhuc inter Tuos  
adolescentior occupaveris gloriæ maturitatem, & sine  
ullo artificio adeptus sis, quæ diu solent sperari ab alijs,  
& quæri. Infulam Principalem, & Pedum Ducale,  
quibus ut inter sidera Sidus luces in Hemisphærio Benedi-  
ctino, & fulges in Imperio Romano; non nisi virtus om-  
nimoda, scientia incomparabilis, iustitia indeclinabilis,  
& probitas Tibi concessere lucidissima. Parcè delibavi,  
quæ

quæ nemo non videt , nemo non probat , præter Te  
Ipsum. Dicerem multò plura, nisi modestia Tua di-  
gito interdictionis labia compesceret mea; & ne in laudū  
Tuarum Oceanum dictionis meæ solverem Phaselum ,  
prohiberet Humilitas. Unum nihilominus reticere ne-  
queo , quod cò præstantius censendum , quò exempla-  
riùs à Te adimpletur. Laudatur Theodosius ille Magnus  
Orientis Imperator apud Baronium , *ad Annum Christi*  
*390.* Nicolaum Caussinum *in aula sacra p. 2. c. 18.* aliós-  
que Scriptores Classicos , maximè verò Eusebium *in Vi-  
ta*, de varijs , hisque raris Christiani Principis virtutibus ;  
omnium tamen primiceriam ac Epilogicam censem Euse-  
bius fuisse illam : ( do verba ) *Quod verbi Dei avidus fue-  
rit auditor, Preconumque zelosorum fautor Maximus.*

Hoc de Te, Princeps Celsissime, non tam eloquitur  
meus calamus , quām probat experientia singulis notis-  
sima. Dicatur ergo de Te, quod olim Samuelis ævo  
Scriptura annotavit : *Et sermo Domini erat pretiosus in die-  
bus illis. 1. Reg. c. 3. v. 1.* Tantà etenim attentione sacrī  
adītas Concionibus, tali aviditate cuncta excipis , tāmque  
ædificatoriā auscultatione alijs prælutes, ut non plebem  
solummodò , ac subditos, sed & Principalem Tuam Au-  
lam , Aulicósque omnes exemplo moveas , trahas con-  
fuetudine. Expertus loquor : à Te enim ( licet longè  
immeritus ) Ducalis Tuæ Basilicæ Ecclesiastes extraordi-  
narius denominatus, toties Celsissimum Principem cum  
ingenti gaudio Auditorem vidi , quoties ad populum  
pro concione dixi. Foves insuper me pauperculum  
vel ex hoc capite quotidianâ Principali Munificentia ,  
meof-

meosque tueris Confratres ut Princeps, amplecteris ut Pater, defendis ut Tutor. Sed quid retribuam Celsitudini Tuæ pro omnibus, quæ mihi meisque retribuisti usque adhuc tam liberaliter? Pagellas hæc meas, de sanctis Cœlicolis compilatas accipiam, & Nomen Magnitudinis Tuæ desuper invocabo; ut Tua sub protectione evolent tutius, publicentur securius; Secutus illam Aquilam, quæ grava ovis, super æthera volans, ea in sinu Magni deposuit Jovis, ut à Scarabæis servarentur intacta. Tibi utcunque pro meo posse (ut confido) placitrus, cum feram cupita: mihi provisurus, cum quæram Patrocinia. Sine ergo, Princeps Celsissime, Candebri Apocalyptic Sanctorale primum hoc, tanquam primogenium ovum lucubrationis meæ de Sanctis, timorosa obductum pelliculâ in sinu tuo submississimè reponi, ut vel sic à Zoilis & Sciolis defensum, lucem publicam videat tutò, lumenque dispenset simplicioribus salubriter. Quod dum rogo humillimè, & efflagito submississimè, Reverendiss. Celsitudinem Tuam Cunctipotentis quam devotissimè commendo protectioni, me vero, Fratresque meos, favoribus Tuis clementissimis. Lenzfrida ad S. Bernardinum die 22. Februarij, quæ erat D. Petri Cathedræ sacra. 1681.

*Rev.\*\* Celsitudinis Tuæ*

Servus æternum Devinctissimus

Fr. Ioannes Capistranus Brinzing  
Franciscanus indignus.

SACRITAS